LADISLAO Regi frequens in ore erat, sibi non videri homines esse qui literas ignorarent. *AEn. Sylu. Lib. 4. comment. de rebus gest. Alphonfi.*

ALPHONSVS Rex persanctè affirmabat, se malle perdere, quæ possidebat, omnia, quàm vt tantillum eruditioni decederet suæ. *Idem.*

Idem Rex diuitem sine cultu literarum, aureum vellus appellare solebat. *Panor. lib. 3. de rebus Alphonfi.*

Idem audiens quendam Hispaniæ Regem dixisse, non decere Principes viros scire literas, exclamauit, eam vocem bouis esse, non hominis. *Eras. lib. 3. Apoph.*

PHILIPPVS hortabatur sæpè filium suum Alexandrum, vt diligentem PHILOSOPHIÆ Aristotelicæ operam nauaret. *Ne, inquit, multa committas quæ me fecisse nunc pœnitet. Plut. in Apoph. Regum & Imperat.*


Ego Milites (ait Sigismundus) mille vna die fecerim, doctorem vnum mille annis non fecerim. *AEn. Sylu. lib. 4. com. in res gest. Alphon.*

Iulianus Cardinalis, qui Basiliensi Concilio interfuit, Vitam sine literis mortem esse iudicauit. *Idem l. 3. de rebus gest. Alphon.*

Rex ipse Alphonsus Regem illiteratum & indoctum Asinum coronatum esse dicebat. *Idem lib. 1. com. in res gest. Alphon.*



DE



DE PHILOSOPHIA

IN VNIVERSVM.

THESIS PRIMA.



RECTE philosophantur, qui PHILOSOPHIAM DEI Opt. Max. inuentum cognoscunt, & grati Diuinum munus agnoscunt: Est reuera omnis ingenuę cognitionis Origo Deus: ab ipso tãquam fonte PHILOSOPHIAM hausit primus homo: & ab hoc ad Nepotes facta est eius quasi hæreditaria transmissio. Itaq;

*Auctor
PHILOSOPHIAE
DEVS.*

non rectè sentiunt ii, qui eam casu & per accidēs tantum cum Religione Christiana coniunctam fuisse asserunt: hoc sanè amicum pulchrumque coniugium singularis DEI prouidentia ipsis statim Ecclesię primordiis voluit celebrari; voluit Religionem philosophiæ præsidio armatam esse, ne omnibus omnium telis exposita obrueretur; voluit ipsam philosophiam religione animari, ne absque fructu euanesceret; voluit à Christianis eam de ancilla & captiua Israelitidem fieri, & quod in ea mortuum erat Idololatrię, erroris, & vanitatis amputari, & gratia diuinę nitro mundari, & ornari, vt sic composita diuinis consecraretur obsequiis.

*Rectè conuenit
PHILOSOPHIA cum
Religione.*

II.

PHILOSOPHIAM ab Erymo nominamus *studium sapientia: ab origine, indagacionem rerum ex admiratione profectam; ab aliquo eius effectu seu munere, mortis meditationem; à fine aliquo, scientiam veritatis contemplatricem; ab vltimo, similitudinem cum Deo, quantum ab homine exprimi potest; à materia subiecta, humanarum diuinarumq; rerum cognitionem.* Sed qui penitiùs eius natu-

*PHILOSOPHIAE
notio.*

A ram

tam sunt intuiti, eam omnium verum, ut sunt, id est, per causas notitiam pronuntiarunt: & rectè.

III.

Divisio.

EAM cum Aristotele partimur in *speculativam & practicam*; hæc opus tanquam finem præcipuè intentum molitur, illa in solo veritatis intuitu conquiescit. *Pragmatica* philosophia dicitur de Logicâ, Ethicâ, Medicinâ; *Contemplatrix* autem de Physicâ, Metaphysicâ, Mathesi. Nec scientiarum naturalium vlla ex praxi & Theoriâ coalescit, cum sint hæc differentie primò constituentes & determinantes scientias. Hæc de PHILOSOPHIA vniuersim. Iam ad subiectas species descendamus, & primò de Logicâ, differendi arte, quæ doctrinæ ordine prima est, differamus.

EX LOGICA.

IV.

Logica natura.

Materia.

LOGICES naturam ex eius causis disce; *Materiam*, In qua occupatur asserere ipsos intelligentiæ humanæ actus: quatenus in Modos sciendi scitè formari possunt: *Formam* dic esse Scientiam; *Effetricem* ipsam mentem; *Finem* rectam intellectionem. *Logica* ergo est Modi sciendi scientia, ab humana mente, in qua est, procedens, ad facile & citra aberrationem differendum. Iure merito Scientia audit, quæ Sciendi Instrumenta curat & accurat: Quæ si nescis, te omnia nescire, necesse est.

V.

Partitio Logica.

E Subiectâ Logicæ materiâ nascitur eius in triplicem mentis functionem Princeps distributio; nam cum doceat, qua ratione res animo rectè apprehendas; qua iudices, qua vnum ex alio aptè colligas, è tribus istis emergunt tres Sciendi Modi, *Definitio*, *Divisio*, *Argumentatio*, quibus ex arte construendis aliqua Vniuersalium, & Categoriarum cognitio præmitti debet.

EX PRIMA LOGICÆ PARTE.

VI.

Vniuersali natura. Species.

VNIVERSALE non nisi mentis operâ exurgit; eius natura est esse aprum multis inesse vnum: eius proprietas, effecti

399
efferi posse de illis vniocè: Eius formæ, quibus ex æquo se dif-
fundit, *Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens*; è quibus tria illa
rei naturam constituunt; hæc duo iam constitutam afficiunt. *Pro-*
prrium quod è naturæ sinu egreditur, necessariò intrinsecùs inest,
& retrò comменти nexu: *Accidens* autem extrinsecùs accedens
& adesse, & abesse citra subiecti interitum potest.

VII.

A S S E R E Vniuersale vnum esse & multa; in multis & extra multa; vbique & nusquam: Semper & nunquam: pugnabit
te pugnancia dicere vulgus, sed pro non pugnantis pugnabit e-
ruditum pectus. Nec pugnat *Genus* continere *Speciem*, & esse par-
tem *Speciei*; similiter *singulare* latius patere quam *Vniuersale*. Est
autem *singulare*, quod nec pluribus inesse, nec de pluribus, tan-
quam quid commune illis efferi potest.

Vera Pro-
nuntiata
qua vulgo
paradoxa
videntur.

IX.

C A T E G O R I A (nomen à foro ad lyceum traductum) est Prædicatorum essentialium sub vno genere supremo ordinata
series. *Categoriæ* limites ingreditur *Ens reale*, vnum, per se fini-
tum: *Infinitus DEVS* nescit constringi. Solennis illa Prædica-
mentorum decas sua stat grauitate: Hanc conficiunt *ENS* crea-
tum per se, & *ENS* in alio: hoc nouem, iuxta nouenos effectus ac-
cidentarios primò diuersos, constituit: illud vnum duntaxat, ni-
mirum *Substantiam*: hæc vt accipiat esse in rerum natura requirit
Actionem: vt esse communicet, *Passionem*: vt partes habeat loco
coextensas, *Quantitatem*: vt agat & ornetur, *Qualitatem*: vt vesti-
tur, *Habitum*: vt sit alicubi præfens, *Vbi*: vt cum certo ordine sit ibi,
vbi est, *Situm*: vt perseueret in esse, *Quando*: vt alio referatur, *Re-*
lationem.

Ens Prædi-
camentale.

Prædicamē-
torum nu-
merus col-
leāus.

X.

S V B S T A N T I A *Categoriarum* basis nulli innixa, vt
subiecto, per se cohæret: Eius *Species* sunt *Spiritus*, & *Corpora*, tam
cælestia, quàm ea quæ cælis sub sunt: Eius in primam & secundam
Diuisio, est proprietatis siue accidentis in sua subiecta: Eius attribu-
ta sunt, non esse in subiecto: non dici per aduerbia *Magis* & *Min-*
us: suscipere contraria: non esse *Substantiam* *Substantiæ* contra-
riam. *Compleatam* substantiam vocamus *Suppositum*, hoc exurgit
ex natura & *Subsistentia*, *Substantiam* singularem intellectu præ-
ditam,

SVB-
STAN-
TIÆ ra-
tio, &c.

A 2

ditam,

ditam, vocamus Personam: personalitas seu substantia distinguitur ex natura rei à natura, quam terminat.

X.

*Quid sit
Quantitas?
Quae Species:
Attributa?*

Substantiam materiata[m] perpetuo comitatur *Quantitas*, à qua accipit corpoream seu extensionem, qua sit apta coextendi spatio. Quantitati subiacent vt veræ & germanæ Species, Linea, Superficies, Solidum. Putatitæ tantum sunt, Motus, Tempus, Locus. Adulterinæ, Numerus & Oratio. Ex ratione Quantitatis oriuntur quædam passionēs: videlicet esse finitum, vel infinitum, esse diuisibile, esse æquale vel inæquale alteri, esse mensurabile. Hinc dicitur quod *Quantitas* sit ratio partium, ratio diuisibilitatis, ratio mensuræ: Eius autem ratio formalis consistit in extensione in ordine ad locum, seu in ratione partium ad quam cætera consequuntur.

X I.

*Relatio.
Ratio fundandi.
Relationis
Species.*

Quantitatem sequitur *Relatio*, qua aliquid hoc ipso quod est ad aliud refertur: à fundamento (quod etiam Substantia esse potest) tantum ratione, dissidet. Rationes fundandi relationes præcipuæ tres enumerari solent, quædam fundantur in vnitate, aut illi opposita multitudine: quædam in actione & passione: aliæ in ratione mensuræ: In primo genere sunt relationes similitudinis, æqualitatis, &c. In secundo, relationes causæ ad effectum, & effectus ad causam: In tertio, relationes quarundam rerû, quæ habent peculiarem modû specificationis, vt vocant, ex tendentia, & quasi commensuratione ad aliud, vt ad obiectum, vel terminum, qualis est *Relatio* actus cognoscendi ad cognitum. *Relata* dicuntur ea quorum totum esse est ad aliud: eorumque vtrumque tot in se Relationes distinctas numero suscipit, quot terminos respicit.

X II.

*Qualitas
nobilissimum
Accidentium.*

QUALITAS, qua propriè & simpliciter res dicuntur quales, tum ad iuuandam substantiam, tum ad eam exornandam, suâ subiectarum formarum tetrastructiâ, reliquis accidentibus præripit palmam. De sex postremis categoriis hoc certum nobis est, eas non meris relationibus aut appellationibus aliundè accerfitis, sed partim Modis, partim Formis tam extrinsecus quàm intrinsecus substan-

substantiam efficientibus constitui. Hæc de prima mentis functione, & Logicæ parte prima, ad quam pertinet primus differendi Modus, *Definitio*, quæ est oratio rei naturam explicans, veri falsique incapax; Medium Demonstrationis Nobilissimum.

357

EX SECUNDA LOGICÆ PARTE.

XIII.

SECUNDA Logicæ Pars libris de Interpretatione contenta, secundæ mentis operationi, qua rem apprehensam apprehensæ conuenire vel non cōuenire iudicamus, moderatur. Est autem hæc Intellectio, Iudicium seu Interna enuntiatio in qua ex arte formanda, ita laborat Logicus, vt non planè negligat illam, quæ voce exprimitur: siquidem voces notionum animi signa sunt, & scripta

Enuntiatio mentalis.

Vocalis.

Nulla vis Physica voci.

XIV.

NON aliis vocibus quam ex instituto significantibus primæui homines collocuti: nec alia lingua quàm Hebræa, quam B. Hieronymus linguarum omnium Matricem, & Mundo coæquam, vnicam & communem ante confusum vniuersæ terræ labium dicit fuisse. Fabulantur ii, qui omnium animantium eandem olim fuisse vocem & sermonem scribunt: nam vt soli Homini Ratio congruit, ita & Oratio: nec obstat, quod aliquæ aues sermocinari videantur, sermonem enim non proferunt, sed solum referunt.

Lingua Hebræa omnium prima.

Soli homini cōuenit Sermo.

XV.

VOX Interpretes, non est quælibet vox, sed sola enuntiativa, quæ sola latentes in animo assensus euulgar: sola verum falsum significat: Eius species sunt Affirmatio & Negatio: Eius Affectus, Oppositio, Conuersio, Equipollentia: Principia eius, Nomen & Verbum: Eius Efficiens, Intellectus: Eius finis, Illustratio mentis irradiante veritate; hæc subiectiuè est in Intellectu iudicante; obiectiuè in rebus; instrumentariè in vocibus. Ex Nomine & Verbo ritè copulatis, emergunt Propositiones de re præsentī, præterita & futura, quæ omnes licet contingentes, determinatè verum vel falsum significant.

Quid sit Enuntiativa vox:

Eius species.

Accidētia.

Partes.

Causæ.

Quæ propositiones significant verum vel falsum:

A 3

EX

EX TERTIA PARTE LOGICÆ.

XVI.

*Ratiocina-
tio.
Species eius
nobilissi-
ma.
Syllogif-
mus.*

TERTIAM Intellectus functionem, quam ratiocinationem vocamus, format vtraque Analysis; Est autem hæc vnus ex alio illatio, quæ in quatuor præcipuè genera secari solet, idque Analogicè; siquidem Inductio Enthymema, & Exemplum, quicquid habent ad inferendum roboris, id totum acceptum ferūt syllogismo; huic, qua consummata est Ratiocinatio, maximè intima est Conclusio: qua autem sciendi instrumentum, aduentitia tantum. Syllogismo pars subest nobilior Demonstratio, constans ex veris, primis, & necessariis propositionibus.

XVII.

*Demon-
strationis
effectus
Scientia.*

Demonstrationis partus est scientia, quam qui negant, vel à Reminiscencia discrepare nolunt, nil sciunt. *Scientia* verò est cognitio rei per causam & quia illius causa est, & non contingit hoc aliter se habere: Ex eius crebrò repetitis actibus enascitur habitus, quo promptè & faciliè operatur is, cui inest, intellectus qualitas sanè distincta ab ipsis speciebus intellectibus: Et est habitus verus & euidens rei per causam cognita, quibus verbis apertè distinguitur ab ignorantia præuè dispositionis, quæ est habitus erroris & falsitatis: ab opinione, quæ est incerta: à Fide, quæ est obscura: ab intelligentia Principiorum, quæ non acquiritur per causam.

XVIII.

*Syllogif-
mus Topi-
cus, Sophi-
sticus.*

TOPICÆ Obiecta materia est Syllogismus Topicus, qui constat præmissis probabilibus, vel vtraque, vel certe altera: in animo gignit opinionem & format intellectum ad probabiliter differendum, sicut *Sophistica*, ad cognoscendas & cauendas fallacias. Sophisticus Syllogismus ex iis, quæ videntur esse nec sunt, colligit conclusionem, vel colligere videtur, nec tamen colligit, hoc est, vel in materia peccat, vel à præscripta forma declinat.

EX PHYSICA.

XIX.

*PHYSI-
CA verè
Scientia.*

PHYSICA, cui subest cognoscendum **CORPUS NATURALE**, est vera scientia, eaq; contemplatrix, qua imbutus orthodoxus

thodoxus ad Inuisibilia DEI per ea, qua conspiciuntur, assurgit, & de
his, qua videntur bona, intelligit eum, qui est. CORPVS NATVRA-
LE dicitur, quod naturis constat: Eius species sunt, corruptibile, &
in corruptibile, simplex & mixtum, animatum & inanime, vege-
rans denique sentiens & intelligens: Eius Principia in fieri intima,
Materia, Forma, Priuatio, ex quibus vnà coeuntibus omnia fiunt,
ipsa autem neque ex se se, neque ex aliis efficiuntur. Eius Attribu-
ta, Quantitas, Motus, Locus, Tempus.

353
Quid cor-
pus natu-
rale?

Quae species
eius?

Principia?
Attributa?

XX.

MATERIA, quæ omni corpori Physico inest, à solo Deo
accepit esse è nihilo, suapte natura ortum & occasum nescit, secun-
dum se pura potentia, appetens formas tam præsentibus, quàm ab-
sentes, primum cuiusq; subiectum, è quo quippiam eo sit pacto, vt non per
accidens insit, pollet propria existentia, & subsistentia, naturaliter
tamen absque forma non existit, vna est omnium rerum subluna-
rium, cui Quantitas coætanea est.

Materia
natura.
Causa.

XXI.

Inest & sua cuique enti naturali Forma substantialis, quæ est
Ratio Quiditatis, vnus compositi vna tantum: frustra fingis illam
quam vocant corporeitatis: frustra partiales, cum vna sit satis in
vno. Omnes excepta humana, è sinu materiæ, in qua tamen ante
non fuerunt, prodeunt. Omnes intereunt, quæ sic excitantur: so-
la Rationalis, quæ sola fit è nihilo, non occidit.

Forma.

XXII.

NATVRA, ex quâ gemina Naturale corpus exurgit, est
principium & causa vt id moueatur, & quiescat, in quo per se & non ex
accidente inest. Solis Materiæ & formæ competit hæc Naturæ no-
tio, quippe queis solis competit esse interna principia motuum: u-
trumque passiuum in vita carentibus, at in iis, quæ viuunt, alterum
actiuum est, nempe Anima. Hæc de natura, de qua vt illustret &
firmer Philosophus quæ disseruit, aliqua de Arte interferit.

Quid Na-
tura &
quotuplex?

XXIII.

Est autem Ars cognitio rei efficiendæ, qua efficienda est, cuius
inca-

*Ars & Ar-
tes factum.*

incapaces sunt bestia, quantumvis ad mira cōdoceant: Solus intellectus artis capax est, & licet ipsa vi sua nullum naturale opus efficere valeat, valet tamen aliena, id est applicando naturalia actiua passiuus: sic Medendi Ars virtute herbarum agris sanitatem adfert; sic à Chymicis conflare aurum non pugnat, licet fermè semper eorum opera & sumptus in fūmum abeant: sic ope Dæmonum Pharaonis Magi veros excitant serpentes, teste B. Augustino lib. 3. de Trinit. cap. 7.

XXIV.

CAUSA.

CAUSA definitur id à quo aliquid per se pender, estque quadruplex, *Materia, Forma, Efficiens, Finis*: Hæ duæ externæ: illæ, internæ: In singulis spectanda sunt hæc quatuor, Natura seu entitas, causandi ratio, causalitas, conditio. Ratio causandi materiæ & formæ, est propria cuiusque entitas: causalitas est vnio, qua ambæ mutuo complexu corpus naturale condunt: conditio est propinquitatis, quantitas in materia, & aliæ dispositiones.

XXV.

EFFICIENS.

EFFICIENS est primum principium à quo Motus, Actio, vel Emanatio incipit, aut est. Diuiditur in *primariū & instrumentarium*: hoc operatur in virtute il ius illud habet vim agendi internam effectui per se proportionatam. *Primarium Agens* partimur in *primum & secundum*: hoc creatum omne, illud increatum solum. Causalitas cuiuscunque agentis est Actio: Ratio causandi, Virtus Actiua: Conditio sine qua agens non agit, est, vt passum sit dissimile, sit diuersum, sit propinquum. Nec Deus, qui omnia potest, agere potest in ea, quæ vel minimum à se distant, si distare aliquid à Deo potest.

XXVI.

*Qui res à
Deo pen-
deant?*

A DEO tanquam à causa Principe & independente pender omne creatum in fieri, conseruari, & operari. Hæc cooperatio seu concursus DEI cum causis secundis, nihil est aliud, quam ipsummet esse ac fieri rei, quæ sit dependenter à Deo agente, cum ipsis, immediato supposito & virtute, se se accommodante naturalibus & liberis, salua tamen cuiusque naturæ integritate, & lege nisi quando absoluta voluntate & imperio, quo potest, cum lubet, vitur.

CAVE

X X V I I :

C A V E afferas concursum causæ primæ cum secunda esse *Quid sit concursus*
quid impressum, aut præuium : aut vtriusque geminam esse actio- *causæ pri-*
nem: aut ita primam agere, vt secunda sit otiosa : aut vnum & eun- *ma.*
dem esse concursum cum omnibus, quippe qui variatur iuxta di-
uersitatem & exigentiam singularum.

X X I I X.

Nec quælibet causæ creatæ eodem operantur modo, nam a- *Modus quo*
liæ necessariò, aliæ liberè, contingenter aliæ: necessariò agunt o- *operantur*
mnes rationis vsu destitutæ: liberè solæ Intellectu præditæ: con- *causa.*
tingenter denique singulæ, quæ natura sua determinatæ ad vnum, *Quæ neces-*
extrinsecus impediuntur. Necessariò agere dicuntur ea, quæ po- *sariò qua*
sitis requisitis ad agendum, non possunt nõ agere: hæc autem præ- *liberè.*
requisita tunc dicuntur adesse, quando nec in agente, nec in me-
dio, nec in obiecto, quod esse debet, deest. Liberæ causæ positæ
omnibus ad operandum necessariis, possunt non operari, nec de-
terminantur à Iudicio Practico, quod exprimitur hac voce, F A C
H O C.

X X I X.

Inter Accidentia, sola Qualitas, nec tamen omnis, agendi *Qualitas*
virtute pollet, instrumentariâ quidem in productione Substantiæ, *sola inter*
primariâ, in accidentium, quæ vera & Physica actione efficiuntur: *accidentia*
iis autem quæ per resultantiam fiunt, immediatè à substantia ema- *agit.*
nare conuenit. fallunt ii & falluntur, qui & ipsi figuræ virtutem ali- *Supersti-*
quam in operando tribuunt: Superstitiosa est omnis operatio, quæ *tiosi sunt*
astronomicis figuris, vel chartis, certisque imaginibus adscribitur. *qui Figuris*
vim agendi
tribuunt.

X X X.

A G E N S Intellectu præditum & arte, vt producat arte- *Idea quid*
factum, Ideam habere debet. Hæc autem est forma mente con- *fit?*
cepta, quam effectus imitatur ex intentione agentis, qui determi-
nat sibi finem: forma eiusmodi non est res obiecta cognitioni, sed
cognitio ipsa, seu cõceptus formalis practicus rei efficiendæ, quam
iure merito in efficientium numero reponimus.

X X X I.

FINIS, causa omnium prima, est id cuius gratia operatur *FINIS.*
B omne

CAVE

346
omne agens : eius ratio formalis est bonitas honesta vel iucunda : eius conditio, est cognitio : eius causalitas, est actio elicita ab agente finis ergo : eius effectus sunt duplices, interni & externi : inter nos inter numeratur simplex amor ipsius finis intenti, & de ob- tento complacentia : media, qua media, appetuntur solum pro- pter finem.

X X X I I.

*Quæ pro-
priè agunt
propter fi-
nem.*

Sola quæ intelligendo agunt, propriè cognoscunt & inten- dunt Finem : cætera verò, quæ cum natura intelligente coniungun- tur : vnde illud, *Opus naturæ est opus intelligentiæ* : non tamen ideò di- gressiones naturæ (monstra scilicet) Deo dirigenti adscribendæ, sed causæ naturali, cui vel defuit disposita materia, vel efficacia in operando, ad cuius captum se se causa prima accommodat.

X X X I I I.

Casus.

Præter causas quæ per se in aliud influunt, sunt & aliæ per ac- cidens : *CASVS* & *Fortuna*, viraque obtinet nudum nomen effi- cientis intendentis effectum per se, cum quo ex accidente con- iungitur alius raro eueniens : qui in iis, quæ agunt eligendo, *For- tuna* dicitur, quæ autem naturâ, *CASVS*. *DEO* nihil esse potest fortuitum : Angelo, raro : Homini, frequentius. Execramur nefari- am superstitionem quæ Fortunæ Numen inesse finxit.

Fortuna.

X X X I V.

Fatum.

FATVM seu Astronomicum, seu Stoicum, quod huma- nis actionibus necessitatem infert, apud nos non habet locum : Christianum tamen habet, nec est aliud, quàm causæ secundæ quæ diuinæ prouidentia, subsunt, & iuxta illius præordinationem, vel permissionem & præscientiam infallibiliter operantur : necessariæ, necessariò : & liberæ, liberè. Hinc fit vt in ordine ad diuinam prouidentiam in effectis causarum secundarum, sit quædam infallibi- litas, & vt Boëtius ait, immobilitas, quæ Fati nomine declaratur. Et dicitur à S. Augustino *Sanctio & vox diuinæ mentis*.

*Prima affe-
ctio corpo-
ris natura
ralis Mo-
tus.*

X X X V.

Inter communes affectus corporis naturalis primas cogni- tione tenet *MOTVS* actus scilicet *Entis in potentia, prout in poten- tia* : cuius principium proximum est *Vis motiua* : cuius ratio & na- tura

tura

357
295

rura est Tendentia: cuius finis est perfectio corporis naturalis, cuius subiectum est mobile: cuius terminus ad quem tendit, est Substantia, Quantitas, Qualitas, Vbi: Siquidem generationem substantialem ab hac Motus definitione non excludimus.

XXXVI.

Excludimus merito creationem, quæ est productio rei ex nihilo, soli possibilis DEO: excludimus conuersionem, qua totus homo in lapidem diuina vi conuerti potest: Excludimus Diuini Verbi ineffabilem productionem; excludimus ab hac & Transsubstantiationem verè, & sine iniuriâ, quam imperitè & impiè à S.S. Eucharistia excludunt formati quidam ad noui Euangelii obruffam PHILOSOPHI.

A definit.
Motus excluduntur
Creatio,
Productio
Verbi Diuini,
Transsubstantiatio.

XXXVII.

Generatio substantialis definitur *mutatio totius in totum nullo sensibili subiecto manente*: vel mutatio à priuatione formæ substantialis ad formam substantialem in materia. Verè & Synonymos generationes sunt Productio Adami è limo, Euæ productio ex Adami costa, Christi ex Virgine Matre, Petri ex mare & fæmina.

Generatio subst. quid sit?
Quotuplex?

XXXIX.

GENERATIONVM alia est simplicium, alia Mixtorum: simplicium, vt Elementorum, quæ ex se mutuis mediâtè & immediâtè generantur: quanquam a symbola facilius in tertium demigrent. Mixtio, miscibilium scilicet alteratorum Vnio, Generatio quædam est, quam præcedit Alteratio: hæc est Motus ad qualitatem sensibilem, cuius Intensio fit per realium partium ad gradum præexistentem additionem.

Mixtio.
Alteratio.

XXXIX.

VIVENS Physicum, vt maneat in esse, nutriri debet. Nutritio est conuersio substantialis alimenti in alitum, quæ ad generationem partis dicitur, toto vitæ durans tempore. Nutritionis comes est Accretio, motus ad quantitatem, quo Viuens nouæ substantiæ ad generationem secundum omnes partes extenditur. Accrescere viuens sine Latione nequit, huius terminus est Locus.

Nutritio.
Accretio.
Latio.

B 2

Locus

Locus.

LOCVS, quid sit, non conuenit satis inter Philosophos: rugosum illud, Vacuū esse terminū ad quem lationis, cum nec vacuū vllum sit, nec vi naturæ esse possit. Missis aliis, dicimus Locum esse superficiem corporis ambientis locatum. Vnum corpus in pluribus constituere locis, & plura in vno, natura non potest, potest autem naturæ Author.

X L I.

Tempus.

CORPVS quod mouetur localiter, seu in spatio reali seu in Vacuo moueatur, moueri debet in tempore. Tempus est duratio successiua motus secundum prius & posterius. hoc Vnicum est generale primò inhærens mobili, à motu sola ratione distinctum. Præter Tempus aliæ sunt durationes eæque permanentes, Vna Increata, quæ tota simul independens & inuariabilis dicitur *Æternitas*, Soli Deo propria; alia creata, quæ, si ex se sit incorruptibilis, tota simul, *Æuum* Angelorum, aliarumque rerum ex se interitus experitium, audit; si vero ex se deficiens, modus æui, vel instans discreti temporis à nonnullis appellatur. Sequuntur Species Corporis Naturalis.

*Æternitas.**Æuum.*

X L I I.

*Species corporis naturalis.**Mundus, Mundi partes.*

SPECIES corporis naturalis sunt cæli, & quæ subiacent cælis: horum compages est *Mundus*: cuius causa producens, conseruans & gubernans est *DEVS*: cuius partes primariæ & generales sunt substantiæ corporeæ, & corporis expertes. simplicia, mixta, animantes ratione præditæ, & ea destitutæ: cuius perfectio in tribus his cernitur, in excellentia Individuorum, distinctione specierum, & coordinatione partium. Mundus libere conditus, è nihilo, in tempore: potuit tamen, licet non fuerit, quoad Entia permanentia, esse æternus. perfectus essentia: perfectior esse potest, quoad accidentia & partes integrantes: Esto, patiatur suos manes, nihil tamen in eo aut deficiens aut redundans: nihil quod aliquid commodi pariat aut parere possit, si eo congruè & sapienter vtatur.

X L I I I.

Calum Quid?

PARTES Mundi grandiores sunt Cæli & Elementa: *Calum* nec elementum est, nec aliquid ex elementis conflatum: Sed aliud

aliud corpus simplex, incorruptibile, constans materia & forma à sublanaribus essentialiter distinctis, ad rerum inferiorum vsus productum, quibus non solo lumine, sed occultis etiam qualitatibus, (quas Sapientes influentias vocant) & motu, tanquā conditione necessaria, se communicat: in hominis intellectū & voluntatem nulla ei vis agendi directè inest. Subiacent Cælis elementa quatuor, è quibus Mistra fiunt, & in ea dissoluuntur: non manent tamè in Mistis secundum formas substantiales proprias, sed secundum primas qualitates refractas, quarum duæ cuique elemento insunt in supremo gradu.

Qui agat in hac inferiora?
Elementū.

XLIV.

MISTA ex elementis miscibilibus orta, vel sunt perfecta, vel Imperfecta: illa differunt essentialiter ab elementis ex quibus constant: hæc minimè, sed tantum exteriùs inustis impressionibus, & sunt *Meteora*, quorum materia proxima est vapor & exhalatio: causa efficiens Cælum quod suo calore expirationes illas è terra & aqua excitat, quæ in sublimi euectæ, calore, frigore, motu, & aliis similibus varias species & figuras induunt: finis, Ornatus & bonū Vniuersi: Locus, vel gremium terræ, vel sinus aquæ, vel infima, media, & suprema aeris regio.

MIXTA.
Meteora.

XLV.

EX halitu fumido variè constituto oriuntur Meteora ignita: inter quæ facilè primas tenent *Cometa*, hoc est exhalationes pingues, crassæ, incensæ, constantes partibus benè coagmentatis: prænuntiant cometæ validos ventorum flatus, tempestates, siccitates, & reliqua eiusmodi. at nec ea quæ nostra ex libertate pendent, nec virorum Principum, regum que mortes nisi indirectè & contingenter, quicquid fingant Arioli, portendunt.

Cometa.

XLVI.

Inter mista perfecta primas tenet Animatum: Inter animata, *Homo*, diuini sex dierum operis Colophon & rerum omnium Epitome. Principium vitæ in animato est *Anima*, Actus scilicet *Corporis Organici potentia vitam habentis*, ab vna & nobilissima Rationali primo viuit, sentit, loco mouetur, & intelligit homo. Error in fide est & Philosophia, dicere animã humanam homine intereunte interire: credit, qui fidem habet, hominem iturum in domum æternitatis suæ, reuerfurum puluerem in terram suam vnde erat, & spiri-

Perfectissimū mixtū
HOMO.
Quid sit Anima?
Anima rationalis est
Immortalis.

tum rediturum ad Deum qui dedit illum: scitè, qui philosophus est, deducit ex spiritali eius naturâ, & ex operationibus supra materiam eleuatis, eam indiuisibilem, immortalem, totam in toto, & in qualibet parte corporis humani esse totam.

XLVII.

*Anima vegetans,
Sentiens,
Rationalis
in homine
est vna.*

*Intellectus
vnus re.
Duplex potentia
Appetens.
Duplex
Motrix.*

Ab anima vegetatrice, quæ constituit infimum viuens, procedit Nutritio, Augmentatio, Generatio, quibus efficiendis vna sufficit facultas. A sentiente quinque sensus Externi, & vnus Internus. A Rationali eminenter & formaliter vegetatiuam & sensitiuam continente, oritur intellectus Agens & Patiens, qui sola ratione discriminantur; illius munus est species Intellectiles rerum singularium expressè repræsentatiuas, collaborante phantasmate corporeo, efformare; huius, efformatis ad Intellectionem efficiendam, vti. Intellectionis terminus intimus, est Verbum mentis. Ab eadem anima exit duplex potentia appetens, immaterialis altera, cuius obiectum adæquatum est bonum ab ipso intellectu proponendum; altera, quæ in corde residet, materialis, ferturque in bonum sensu cognitum. Ab hac vtraque distincta est duplex potentia Motrix, quæ in homine etiam duplex est; Incorporea vna, qua anima corporeis vinculis exuta, se liberè è loco in locum transfert; corporea altera, qua homo loco cietur. hæc de Physicis satis.

EX METAPHYSICA.

XLVIII.

*ENTIS
realis,
Ratio.
Attributa.*

ENS qua ENS, eiusque inferiora, sub eadem abstractione, scientiarum Regina Metaphysica considerat: cuius finis, contemplatio primæ veritatis. Entis realis vnus est conceptus formalis, & re, & ratione ab omnibus conceptibus inferiorum Entium præcisus, cui vnus obiectiuus ratione duntaxat à conceptibus inferiorum abstractus, isque Analogus analogiâ non proportionis, sed attributionis intrinsecæ correspondet: Formalis ratio Entis est habere Entitatem realem, quæ in omnibus modis positiuis & differentiis formaliter inclusa continetur: eius passiones sunt, *Vnum, Verum, Bonum*, quæ nihil positiuum Enti superaddunt, sed vel negatione, vel habitudinem ad aliud: eius species sunt Ens creatum & increatum; hoc **DEVS**; illud, quidquid **DEVS** non est.

Inter

Inter Entia creata primas in prima Philosophia sibi vendicant sedes substantiæ spirituales completæ, perfectione & virtute finitæ; physicè simplices: metaphysicè complexæ ex genere & differentiâ: Esse & essentia: natura & subsistentia, incorruptibiles, mente, voluntate & motrice vi præditæ. Has Philosophi Intelligentias & Mentis vocant, Christiani Angelos. Intelligent per species ingentitas, & non per mutatas à rebus materiatis. Operantur mira, applicando actua passiuus, nullam tamen substantiam aut accidens ad alterandum ordinatum ex se immediatè efficere possunt: volunt cælos; diuinæ Iustitiæ ministri, destruunt ciuitates: cæcitate percunt Sodomitas: assumunt corpora, vel à se fabricata, vel aliunde mutuata, & in his apparent, exercentque operationes sed non verè vitales.

*Angelica
natura.*

L.

Increatum Ens, vel Ens per essentiam non participatam, est DEVS, sine Principio Principium; sine fine finis; Immutabilis, cum cætera mutar; Vbique sine loco; sine tempore semper; ante omnia, extra omnia, omnis; sine partibus totus; vnus & trinus ipse; Imò ipsum esse, à quo quicquid est, esse habet, & sine quo nihil esse potest, qui se ipsum totus & alia à se omnia, tum mala, tum bona, etiam singularia, aded atque futura cōtingentia perfectè, distinctè, scientiaq; inuariabili cognoscit, partim speculatiuè partim practicè, ita tamen vt nec discursu, compositioneue, aut diuisione vtatur, nec malorum vllorum causâ per se sit, nec futuris contingentibus necessitatem, liberæque hominis arbitrio vim inferat, cui

*Dei esse.
Cognoscere
Velle.
Possè.*

soli scienti omnia, & omnia potenti cultus
summus debetur, & gloria.

Amen.

F I N I S.

PRONVNCIATA VERA SAPIENTI, PARADOXA VVLGO.

PRONVNCIATA VERA SAPIENTI, PARADOXA VVLGO.

- 1. DEVS Opt. Max. omnia potest: creaturam infinitam producere non potest; quí ergo omnia potest?
- 2. Angelus in corpore, est sine corpore: sine corpore, luce, colore videri potest: sine lingua & ceteris, loqui.
- 3. Angelus, qui nec Rationalis, nec Irrationalis est, potest docere hominem artem scitè ratiocinandi.
- 4. Esto! sit Angelus Mens & Intelligentia, non potest tamen brutæ animanti dare intelligentiam.
- 5. Sine manibus, aliisque corporeis instrumentis lapides, ligna scamna, & quicquid obuium est iaciendo, territat homines, lædit, occidit Spiritus.
- 6. Inter homines non habet ingeniosissimus nobiliorrem animam quàm stupidissimus.
- 7. Idem homo potest esse simul in diuersis locis, Molsheimii & Romæ; híc frigere, ibi calere; híc viuere, ibi non viuere.
- 8. In vacuo si duo homines essent, quamuis oculatissimi, & maxime vicini, non se viderent, nec maxime à lingua instructi, loqui possent.
- 9. Si moueretur aër è concauo lunæ ad locum sibi debitum à natura, moueretur sursum.
- 10. Arborum radices, quantumuis ad ima terræ descendant sursum abeant, & rami, quantumuis affutgant, deorsum feruntur.
- 11. Musca, vilissimum animal & molestissimum, nobilior est Sole.

C 12. Sol

ilzi Lu... phorum... ciorum... n vocat... m: hoc... dicimus... philoso... esse cu... scientiã... ogressu... nis mul... m. Pri... s refor... laudem... scilicet... em, quæ... t, ex phi... um Lu... qua The... des. Di... opho... PRO-

EX ARCANATA ANTI-

PATHIA.

I.

LEO, qui solo rigitu omnibus animatibus terrori est, metuit aspectum gallinacci, & alia leuia: vulgo illi hocobuenire putatur; quod, dum nascitur, matris ventrem discerpat.

II.

ELEPHAS furens viso ariete conquiescit. Idem horret murem; hinc magnus Basilius dicebat *se non magis mirari ELEPHANTEM ob magnitudinem, quam murem, qui horrendus est ELEPHANTI.*

III.

MVSTELA, nescio qua vi coacta bufonis ori se inserit deuorandam; hanc omne lumentum, *(vt scribit AELIANUS, 16. cap. 21.)* reformat.

IV.

HYENÆ vmbra canes obmutescunt.

V.

SERPENS quernarum frondium tactu emoritur.

VI.

HOMINVM nonnulli felium praesentia anguntur, sudant, animis deficiunt.

VII.

VESPERTILIONES foliis platani abiguntur.

IX.

ICTA torpedo sarisâ tenentis manum torpescit.

X.

DE Cadauere, quod coram occifore sanguine stillat, non satis conuenit inter eos, qui causam huius rei inquirunt; quidam miraculum esse volunt; alii Casum; alii, Antipathiam, ex vehementi odio occifi in occiforem.

C 2

PRO-

PROBLEMAT A EX

DICTIS MAGNORVM.

I.

AN Ideo Princeps IMAGO DEI dicitur, quòd vel DEVS per ipsum vniuersa gubernet, vel quòd ipse seipsum in DEI similitudinem, religiosè viuēdo, effingat?

II.

Rectēne à Seneca dictum? *CAESARI cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent.*

III.

An Iure reprehendi potuerit REX Alphonsus, quòd, neglecto corporis ornatu, dixerit, *se malle moribus Regem videri, quam purpurā*

IV.

An regiā Maiestate indignum quid commiserit Philippus REX Macedonum, qui quotidie ad solis Ortum sibi à puero istud occini, *Homo es ò Philippe, curauit?*

V.

Vtrum melius sit, vt Subditi timeant Principem, quàm Principi? An contrā? Quid verius isto? *Decet timeri Caesarem, at plus diligi.*

VI.

An vt Princeps ametur à suis languidā regnare manu debeat?

VII.

An boni subditi sunt, qui non magis timent Principem quàm DEVM? Fridericus Imperator tales sibi charissimos esse dicebat.

VIII.

Qui possit Princeps Regno suo, vt anima corpori, vel vt Mundo DEVS praesidere? Regnum sic gubernare boni Principis est, ait *AEgid. de Regim. princip.*

EX

367

EX INOPINATO
EVENTV RERV.

I

CAROLVS V. Imperator Inuictissimus vigesima-
quarta Februarii natus est, vt scribunt Historici; vi-
gesimaquarta eiusdem Liliatum Regem deuicit; fecitq;
captiuum apud Ticinum Insubriae urbem; eadem die de
manu Pontificis Romani Augustale diadema Bononiae
accepit; dixerisne hanc diem, Fortunam an mysterium?

I I

MEDARDVS Episcopus Nouiodunensis, & Ghildal-
dus Rothomagensis etiam Episcopus, fratres Gemelli,
vno partu, vnaque die nati, vna die Episcopi facti, vna de-
functi, vna coelitis adscripti 6. Idus Iunii vt scribit Ful-
gosus lib. I. adscripseris haec sympathiae, an miraculo?

I I I

Recurrit septenarius numerus in Gregorio vndecimo
Pontifice Romano vndecies, vt notant aliqui, septimo
anno supra decimum factus est Cardinalis; septimo su-
pra tricesimum, Pontifex est creatus, septimus ex iis qui
Auiuione septem portarum, platearum, palatiorum, Col-
legiorum, Praeciarum vrbe sederant: electus a septem
supra decem Cardinalibus: anno supra millesimum tre-
centessimum septuagesimo; septimo decies repetito an-
no Pontificiam dignitatem vrbi Romae septem collibus
insigni, restituit: ter septem triremibus e Gallia in Ita-
liam fecit iter: septem annos in Pontificatu peregit: se-
ptimo ab Electionis die consecratus & Coronatus. Ex
hoc numero fierine debet coniectatio?

I V

Num, si cui accidat, ut qua die natus est, eadem anni-
uersaria moriatur. Fatum erit? Hoc accidit Francisco
Bandino cui Florentino & Abbati; 19. Decembr. natus
est, eadem postea defunctus; aetatis anno 29, Christi 1579.

C 3

EX

EX DIGRESSIONI BVS A NATVRA.

I.

DIXERIS belluas an homines monstra illa quæ omnia membra habent humana, præter belluina capita?

Apud Tartaros est Gens canina facie, sermonis ignara, latratu tantum suos affectus exprimere gnara, Tartaris ipsis infesta, quibuscum mirâ arte confligit: hyeme se mergit aquis, & inuoluit arena, glacieque constricta cute, quasi loricate in hostem irruit, nihil timens hostiles sagittas; hostem unguibus & dentibus dilaniat. *Ita Vincent. histor. libr. 31. cap. 11. & alii.* An in hominum numero Gens ista reponi debeat?

II.

Ludouicus viues *libr. 2. de verit. fidei Christ.* Scribit ætate sua apud Batauos marinum hominum esse visum à plurimis, ibique detentum supra duos annos, qui, cum mutus fuisset, iam aliquid fari didicerat; sed bis pestilentia ictus in mare est remissus gaudens & exiliens. Animal rationale hoc animal fuisse quis credat? si rationis signa ediderit, si aliquid verè loqui didicerit, non dubito quin homo sit, ait Philosophus.

III.

Non incredibile est quod S. Augustinus *lib. 16. de ciuit. Dei cap. 8.* scribit de Gente quadam in Ethiopia, cui nec os, nec lingua, quam dicit solo halitu viuere, quem ad se foramine, quod habet in facie, attrahit; quis neget huic genti humanam naturam!

IV.

Idem S. August. *lib. 6. de ciuit. Dei cap. 8.* refert in quadam
Aphricæ

369
Aphricæ plaga, versus Orientem, natum hominem superiori parte bimembrem, inferiori simplicem; id est capite gemino, & pectore, quatuor manibus, ventre vnico, duobus pedibus; duosne existimes homines esse, an vnū?

V.

Non abhorret à Philosophia homines esse, qui se totos auribus contegant, quod affirmat Solinus cap. 21. de Fanesorum Gente. Hanc aurium immensitatem dicit Philosophus inde esse, quod humor, qui debite corporis magnitudini parādus erat, crassior, frigidus, siccus & copiosus in aures se effundat; quod in Afinis, qui cæteris animantibus, ob illam causam magis auriti sunt, videre est.


V I.

Quid Philosophandū de illis viris & mulieribus, quos S. Augustinus Sermo. 37. ad Fratres in Eremo scribit se vidisse sine capitibus, habentes oculos grossos in pectore fixos, cætera nobis similes? quin homines fuerint, si tales fuerint, non dubitamus. Sed quare acephali? causam huius rei assignant aliqui ipsum clima; alii inopiam materiæ obstirisse dicunt, quo minus ceruix emereret.

An inter digressiones humanæ naturæ mulier haberi debeat? Respondemus, minimè; mulier enim verè homo est; nec, qua talis, naturæ peccatum est; si quæras, vter nobilior homo, Mulier, an Vir? mulier se nobiliorem prædicat, quia ex nobiliori materia, ex costa scilicet Adami; cum vir tantum sit ex informi limo; deinde in paradiso gloriatur mulier se formatam esse, viro prodeunte è luto extra paradisum: eas ratiunculas non æstimat vir, allegans se à DEO mulieris caput constitutum; imò ad ipsius DEI imaginem conditum; mulierem autem non nisi ad imaginem viri, iuxta illud Genes. 2. *Faciamus illi adiutorium simile sibi.*

Ex

370



Ex Sapient. 13.

EST PRIMA

ET

VLTIMA

CONCLUSIO.

VANI sunt omnes homines, in quibus non subest scientia DEI: & de his quæ videntur bona, non poterunt intelligere eum qui est, neq; operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex: sed aut ignem aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem aut Lunam rectores orbis terræ, DEOS putauerunt. Quorum si specie delectati, DEOS putauerunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibilis poterit creator horum videri.

*Ad maiorem DEI Opt. Max. Deiparæque
Virg. Mariæ gloriam.*

F I N I S.




E 11265 H. 5/6

s non subest
ona, non po-
us attenden-
nem aut spi-
rum, aut ni-
es orbis terre,
ectati, Deos
orum specio-
ia constituit.
t, intelligant
lis. A magni-
scibilis poterit

proque

19 + 1/2 cm



gestempelt Dkt. 1581, Nr.





Copyright 4/1999 XryMaester GmbH www.xrymaester.com

VierfarbSelector Standard - Euroscale Offset

mistun

1. Kr.